

J. N. J.
QUÆSTIONES

D U Æ

Ex i. ad Corinth. XV.

De

Resurrectione non credentium, ex vers. 22.

&

De iis qui baptizantur super mortuis, ex vers. 29.

Quas

DEO VOLENTE,

PRÆSIDE,

DN. ISAACO FAUSTIO, b.m.

SS. Theol. D. & Prof. P.O. & Seniore, Convent.

Eccles. Præside & Cap. Thom. Præposito,

tueri constituerat,

Eo verò insperata morte abrepto,

PRÆSIDE,

VIRO, Maxime Reverendo, Amplissimo atq[ue] Excellentissimo,

DN. BERNHARDO WAGNERO

SS. Th. D. & Prof. P. O. Cap. Thom. Can. & Ecclesiaste,

h.t. Facult. Theol. Spec. Decano,

Patrono, Præceptore & Promotore suo, omni pietatis
cultu devenerando,

IN INCLYTA ARGENTINENSIVM ACADEMIA

Solenni ventilatione defensurus est

M. JOHANNES HENRICUS BARTH, Argent.

d. 22. Febr. A. O. R. M DCC III.

horis locoque consuetis.

ARGENTORATI, Literis JOHANNIS PASTORII.

Lipp. A. 224. (13)


*24. I. Martii
Q. q. Ma*

oll. diss. A
29, 13

V I R I S,
Magnifico, Amplissimo, Gravissimo & Prudentissimo
DN. JOHANNI REINBOLDO
FRIDERICI
Reipubl. Argent. Consuli Regenti & Universit. Scholarchæ,
Patrono suo Magno,
Ut &
Nobilissimo, Amplissimo & Consultissimo
DN. JOHANNI ULRICO FRID
Illustri XV^{orum} Collegio Reipubl. Argent. à Secretis,
Hospiti suo Benevolentissimo,
Cum pro maximis in se Favoris speciminibus
præter preces
Nil nisi Venerationis & gratæ mentis conamina ipsi reliquerint,
Disputationem hanc Theologicam,
Publicam submissi & gratissimi animi sui interpretem,
sacram esse voluit;
Non ingratam fore hanc pietatis tesseram sperans,
Cum nullum gratissimæ mentis specimen magis expectent
Benevoli studiorum Patroni & Fautores
Quam ipsa studiorum specimina;
Huic vero ipsi tanto majorem fiduciam conciliet,
Quod, cui privati aditus & ædes tam benigne patent,
multo magis publica hac compellatione
Tantis Patronis
se suaque studia commendare audeat,
multis in se meritis
devinctissimus

M. Johannes Henricus Barth, Respond.





QUÆSTIO. I.

De Resurrectione non credentium.

Ad I. Corinth. XV, 22.

§. I.



Uæstio solet proponi : *An à Servatoris CHRISTI Resurrectione, Resurrectio impiorum pendeat?* Etiam sub his verbis : *Utrum impij resurrecturi sint vi meriti CHRISTI, an verò saltim, quia id postulat divina justitia?* Vele etiam : *An CHRISTUS resurrectionis mortuorum, UT SIC, num verò Resurrectionis ad vitam TANTUM, causa sit meritoria?* Non est Quæstionis, sic formatæ, & variatæ, ratio eadem. Namque verbis formari potest talibus, ut aures mox offendantur audientium, & avertantur.

§. II. Textus Apostoli est I. Cor. XV, 22. ὅστε γὰρ εὐ τῷ Αδὰμ πάντες ἀποθνήσκειν, ἐπει γὰρ εὐ τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιήσονται : *Sicut enim in Adamo omnes moriuntur: ita & in CHRISTO omnes vivificabuntur.*

§. III. Præmitto ea, quæ D. Hunnius habet I. Cor. XV, 22. *Quæritur hic, quomodo per CHRISTUM dicantur omnes, qui in Adamo mortui sunt, vivificari, cum quidem res ipsa doceat, plerosque manere in morte, neque unquam in eis instaurari vitam illam cœlestem? Sed respondeatur, quod primò vitam beatam attinet alterius seculi, ACQUISITUM ESSE à CHRISTO tantum, tamque exuberans MERITUM, cuius*

vi totus vivificaretur mundus, si totus mundus crederet, cui etiam IN CONCILIO DEI destinatum illud est, & in Evangelio per universales promissiones toti denunciatur & offertur mundo. Quod autem non omnes ACTU vivificantur, id non DEO, non CHRISTO, non Merito Ipsi⁹, sed hominum culpe tribuendum est, quemadmodum Joh. III. Servator Ipse testatur. Interim verum est & hoc, quod in novissimo die omnes homines, quotquot in Adamo mortui fuerunt, sint vivificandi, seu resuscitandi e sepulchris per hunc ipsum hominem JESUM CHRISTUM &c. Verum hic agi de VIVIFICATIONE AD VITAM BEATAM &c.

§. IV. Sunt, &c sunt, hæc tria extra controversiam posita.
 1. Meritum CHRISTI toti mundo acquisitum, destinatum, denunciatum, oblatum. 2. Actu non vivificari mundum totum, idque sua culpa. 3. Loqui Apostolum de vivificatione ad vitam beatam. Interim tamen Quæstio sic fuit proposita: *Quomodo per CHRISTUM dicantur omnes, qui in Adamo mortui sunt, vivificari.* Manet ergo hoc, quod Apostolus sententia sua, §. 2. expressa, DICAT, omnes, qui in Adamo mortui sunt, VIVIFICARI. Additur: *plerosque manere in morte, neq; unquam in eis instaurari vitam illam cœlestem.* Sic vivificabuntur ij, in quibus vita illa cœlestis instauratur, qui per illam instaurationem non manent in morte. Et tamen *στοθίσκειν, mori,* quæ Apostoli vox est, si idem est quod, *manere in morte,* tum verò sensus hic prodibit: *Sicut in Adamo omnes (non Credentes) manent in morte, ita per CHRISTUM omnes (credentes) vivificabuntur, vita beata, & cœlesti.*

§. V. Videntur involvi & intricari multa, quæ possunt extricari, & evolvi; videntur etiam, qui verbis dissentient, in re ipsa consentire. Qui verbum, *πάντες, omnes*, bis ab Apostolo in sententia eadem repetitum, accipiunt significatione & universalitate eadem, ii literæ inhærent. Et præferenda litera est. *Sicut in Adamo πάντες, omnes moriuntur, ita in CHRISTO πάντες, omnes vivificabuntur.* Utrobius Universalitas eadem est. Dicuntur omnes, qui in Adamo mortui sunt, vivificari. Habuit hoc Hunnius, §. 3. & §. 4.

§. VI.

§. VI. Pergo. Si vivificari, in sententia Apostoli, est, vivificari vita beata & cœlesti, quoad animam & corpus: tum vero, mori, in eadem Apostoli sententia, erit, mori morte infernali, maledicta, quoad animam & corpus. Id quidem exigit vis oppositionis. Difficultatem sentiunt, qui mortem accipiunt, de sola morte corporali, ubi anima separatur à corpore. Hujus universalitatem concedunt. Tum vero, cum ad vivificationem perveniunt, offenduntur, quia hi omnes non vivificantur vita beata. Moriuntur pii & credentes, per separationem animæ à corpore. Sed Apostoli phrases diversæ sunt. Vers. 18. οἱ νοικουντες ἐν Χριστῷ, qui obdormierunt in CHRISTO. Et vers. 22. ἐν τῷ Ἀδὰμ σποθίσασθαι, in Adamo moriuntur. Non moriuntur in Adamo, qui obdormiunt in CHRISTO. Et tamen moriuntur, si mors ea sola est animæ à corpore separatio.

§. VII. Johan. XI. 24. Dicit Ei (JESU) Martha: Novi, quod resurget (frater meus, Lazarus) εν τῇ αὐτάσαι, in resurrectione, in ultimo illo die. Paulus Apostolus Acto. XXIV. 15. Et spem habeo in DEUM, quam & hi ipsi expectant, αὐτάσαι μέλλει εσται νεκρῶν, δικαιῶν τε καὶ αδικῶν, RESURRECTIONEM futuram esse MORTUORUM, JUSTORUM simul & INJUSTORUM, Apostoli spes fuit mortuorum resurrectio, quamvis ea & justorum simul, & injustorum futura erat. Eadem resurrectio mortuorum, & fiducia est Christianorum, & Atheorum, injustorumque terror. Respondit autem JESUS Marthæ, Joh. XI. 25. 26. Ego sum Resurrectio, & Vita: qui credit in Me, καὶ ζήσεται, quamvis fuerit mortuus, vivet. Et omnis, qui vivit, & credit in ME, καὶ μὴ ζηθάται εἰς λόγον αἰώνα, NON MORIETUR in æternum. Sic credens in JESUM, quamvis moriatur, non tamen morietur in æternum. Qui in Adamo moritus erat, in CHRISTO non morietur in æternum.

§. VIII. Cornelius à Lapide Commentar. ad I. Cor. XV. 22. Quæritur, an etiam improbi, per CHRISTUM, CHRISTIq[ue] merita, sint resurrecti, & vivificandi? Negat S. August. &c. Sic & D. Thomas &c. Verum Respondeo, Omnibus, etiam repro-

A 3 bis,

bis, resurgendi causa est CHRISTUS. Cum quasdam rationes attulisset, censet tamen: Verum haec omnia sunt praeter mentem Apostoli, Apostolus enim proprie agit, non de misera reproborum, sed de beata Sanctorum resurrectione. Interim tamen inter rationes sex, quibus, ex mente Cornelii, Apostolus probavit, CHRISTUM resurrexisse, haec ultima est: Per Adamum OMNES moriuntur, ERGO per CHRISTVM OMNES resurgent, & VIVIFICABUNTUR: QUANTVM enim nō cuit Adam, TANTVM & MAGIS nobis profuit CHRISTUS, qui ad hoc venit, ut omnes Adae & posteriorum in eo baptis & damnatione non tantum repararet, sed & altius eosdem eveneret & sublimaret. Hæc Cornelius.

§. IX. Utique beatam, ad vitam æternam, resurrectionem vel maxime Apostolus urget, idque potissimum à versu 35. ad finem usque Capitis. Nihilominus tamen, qui versu 12. dixerunt, ἀνάστασις ρεκρύψει εἰς τὸν οὐρανόν, de sola beata resurrectione non fuere locuti, sed resurrectionem in universum negaverunt, dicentes, Non est mortuorum resurrectio. Spes vero Apostoli hæc fuit, Resurrectionem futuram esse in universum, hominum omnium, justorum simul & injustorum, §. 7. Ipse Cornelius suis verbis: Per Adamum omnes moriuntur, Ergo per CHRISTVM omnes vivificabuntur, sententiam Apostoli v. 22. expressit.

§. X. Resurrectio, & vivificatio, qua resurgent, & qua vivificabuntur, ii, qui tamen hæredes æternæ & beatæ vitæ non erunt, duplice respectum habet. Primo, vivificabuntur, ut peccatores & impii, ad pœnas, ex vi Justitiae divinæ solius. Secundo, vivificabuntur, & judicabuntur, ut non credentes Evangelio. Evangelium est concio de JESU CHRISTO. Marc. XVI.15. Et (JESUS) dixit eis (Apostolis,) Euntes in mundum universum, PRÆDICATE EVANGELIUM omni creaturæ. Vers. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur: (finem suæ in JESUM fidei reportabit salutem animæ suæ) οἱ δὲ ἀπόστολοι, qui verò non crediderit (scilicet, huic Evangelio, spreveritque, non baptizatus, consilium DEI adversus semetipsum) condemnabitur, κτυπιθήσεται (sententia condemnatoria à salute excludetur, atque in tenebras exte-

extiores ejicietur.) Si Filius DEI non fuisset datus in mortem pro vita totius mundi, non hac ratione vivificantur, & judicarentur non credentes Evangelio, quod nullum fuisset. Quod est respectus fidei, & incredulitatis, ex CHRISTI merito est. Et vivificatio illa, quæ inde est, ex intentione CHRISTI ad salutem futura erat. Intervertitur Intentio ista per incredulitatem intervenientem.

§. XI. 2. Thess. I. 7. *In revelatione Domini JESU cum Angelis potentiae suæ, Vers. 8. In flamma ignis, dantis vindictam iis, qui non noverunt DEUM, & τοῖς ω̄ πάντεσσιν τῷ Euαγγελίῳ, qui non obediunt Evangelio Domini nostri JESU CHRISTI, Vers. 9. Qui pœnam pendent, exitium aeternum, à facie Domini, & à gloria roboris Ejus, Vers. 10. Cum venerit, ut glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in omnibus, qui CREDIDERUNT. Dabit ergo DOMINUS JESUS vindictam omnibus iis, qui non obediverunt Evangelio JESU CHRISTI, qui non crediderunt. Namque obedientes Evangelio, credentes sunt. Etiam Rom. X. 16. ἐπάντες ὑπέκυρου τῷ Euαγγελίῳ, non omnes obediverunt Evangelio. Esajas enim dicit: DOMINE, quis credidit auditui nostro. Damnabit eos Dominus, ut tales, hoc est, tanquam eos, qui Evangelio non obediverunt, qui non crediderunt. Inter peccatum Adami, atque inter hanc pœnam, mediat Evangelium, & inobedientia, sive incredulitas Evangelium non admittens. Vivificatio ad judicium, quæ tale, est à CHRISTO redemptore, totius humani generis.*

§. XII. Habet DOMINUS JESUS dominium in omnes homines, ut in eos quos morte sua emit, & redemit, & qualis Ille Dominus est, talis & Judex. Rom. XIV. 9. *In hoc enim (eis λέπτο) CHRISTUS & mortuus est, & resurrexit, & revixit, ut & mortuis & viventibus dominetur. Vers. 10. Tu vero cur judicas fratrem tuum? aut etiam tu, cur pro nibilo habes fratrem tuum? Omnes enim sistemur ante TRIBUNAL CHRISTI &c. In Tribunalu suo JESUS sedebit, & judicabit omnes, ut Dominus & mortuorum & viventium, ut qui hunc in finem & mortuus est, & resurrexit, & revixit. Proinde ut talis DOMINUS vivificabit omnes.* §. XIII.

§. XIII. Hinc Theophylactus ad vers. 12. *Apostolus ab hujus (CHRISTI) excitatione καὶ τὴν κοινὴν ἀνάστασην, communem omnium resurrectionem confirmat.* Ad vers. 13. *Ne dicant, CHRISTUS quidem excitatus est, sed non ideo erit καθολικὴ ἀνάσταση, UNIVERSALIS Resurrectio &c.* Ad versus 23. 24. *ὅσοι μὲν καὶ τὸ ἀνάστατον, πάντες ζωποιηθήσονται, quantum ad resurrectionem attinet, OMNES VIVIFICABUNTUR &c.* *Via resurrectionis CHRISTUS &c. μὲν αὐτὸν, post Ipsum ii, qui sunt Ipsi &c. Illo ex cœlis veniente &c. εἴτα τὸ τέλος, Deinde consummatio erit omnium, ipsiusque adeo Resurrectionis, cœn omnibus universum excitans, πάντων κοινῶν ἐγείρουμενον.* Tres resurrectiones, per hanc expositionem, Apostolus posuit. Primam, CHRISTI. Secundam, fidelium. Tertiam, communem, κοινὴν, universalem, καθολικὴν, omnibus communiter resuscitatis, πάντων κοινῶν ἐγείρουμενων.

§. XIV. In sententiam eandem Theodoretus, ad vers. 22. *Primum Parentem secuti sunt posteri &c. ὅτος ἀπαντᾷ, ITA OMNIS hominum natura CHRISTUM Dominum sequetur, εἰ erit resurrectionis particeps &c. εἰπεὶ δὲ πάντας εἴπει ζωποιηθήσονται, Sed quia dixit fore ut OMNES VIVIFENTUR, post resurrectionem autem discernentur, (διάχρισις ἑσται) qui caste vixerunt ab iis, qui vitam lascivia transegerunt, εἰ qui incredulitate laborarunt ab iis, qui fide claruerunt &c. necessario subjunxit: Unusquisque autem in suo ordine &c. CHRISTUS ἡρώτης ἀνέστη, primus resurrexit. Deinde ii, qui sunt CHRISTI &c. Deinde finis. Hoc est, communis omnium resurrectionis κοινὴ πάντων ἀνάστασης.*

§. XV. Ambrosius de fide resurrectionis, Tom. IV. col. 335. *Primitiæ quiescentium, CHRISTUS. Sed, utrum suorum quiescentium, qui quasi mortis exortes, dulci quodam sopore tenentur, an OMNIUM MORTUORVM? Sed sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in CHRISTO omnes vivificabuntur. Itaque sicut primitiæ mortis in Adam, ita etiam primitiæ resurrectionis in Christo OMNES resurgent. Sed nemō desperet, neq; justus doleat COMMUNE CONSORTIUM RESURGENDI &c.* *Cyrillus in Johan. Lib. 4. cap. 12. Morior, inquit*

inquit CHRISTUS, pro omnibus, ut per ME Ipsum OMNES VIVIFICEM &c. Ad omnem naturam humanam Resurrectio-
nis CHRISTI mysterium pervenire credimus, & in Ipso primo totum humanum genus ab interitu liberatum dicimus. OMNES enim resurgent PROPTER EUM, qui primus resurrexit &c. Et sicut in primo homine omnes mortui sumus, sic rursus in Eo, qui primogenitus propter nos & mortuus est, OMNES REVI-
VISCENT.

§. XVI. In Adamo omnes moriuntur, quantum ad A-
damum, & quantum illi ex Adamo, vel in Adamo. Moriun-
tur autem, nisi interveniente impedimento, quod mortem
illam avertit. Fides eam mortem avertit, vertitque pœnam
mortis, ejusque horrorem, & tristem sententiæ damnatoriæ
expectationem, in soporem dulcem, & quietis votum, & læ-
tam expectationem liberationis consummatæ. Et in CHRI-
STO omnes vivificabuntur, quantum ad Christum, & in
quantum ex Christo, & in CHRISTO. Eventum vivificatio-
nis, quam quidem Consilium DEI intendebat, & Christi me-
ritum acquirebat, impedit incredulitas interveniens. Quos
ergo, incredulitate rem intervertente, ad beatitudinem vivi-
ficaturus erat, vivificabit tamen, idque ad judicium. Rede-
mit omnes, Dominus est omnium, vivificabit omnes, sua voce
excitabit omnes, sistet coram tribunali, thronoque suo omnes,
judicabit omnes. Qui crediderit, & baptizatus erit, salvabi-
tur; Qui verò non crediderit, condemnabitur.

§. XVII. Causa resurrectionis impiorum utique justitia
divina est, sed sola justitia non est causa Resurrectionis talis,
qualis est resurrectio non credentium. Non enim resurgunt
tantum ut impii, sed etiam ut non obedientes Evangelio. Bene
habet quando dicitur: *Nisi CHRISTI meritum Intercessisset,
omnibus aeternum pereundum fuit.* Itaque intercedens Christi
meritum, causa est ut non moriantur omnes, cum tamen in A-
damo omnes mori dicantur. Sic dicuntur omnes vivificandi,
& nisi incredulitas intercederet, nemo periret, vitaque æterna
excederet.

§. XIX. Evangelij prædicatio fructus est meriti CHRI-
STI. Estq; ex intentione Salvatoris, & natura sua, odor vitæ

ad vitam. Audiunt Evangelium prædicatum ij, qui pereunt. His fit odor mortis ad mortem. Uti habet Evangelij prædicatio omnibus communis, ita & vivificatio, quæ communis omnibus est, & in quantum talis est. Christus, vi mortis & resurrectionis suæ, Dominus omnium, mortuorum & viventium, ut DOMINUS vivificabit, ut DOMINUS judicabit. Mediator, non admissus, Reconciliator, sed repulsus, hanc inobedientiam vindicabit.

§. XIX. Apostolicæ sententiæ non est hæc connexio: ὁσπερ, οἱ ἐν τῷ Ἀδὰμ ὄντες, πάντες ἀποθνήσκεται, vel, ὁσπερ πάντες οἱ ἐν τῷ Ἀδὰμ. ὄντες ἀποθνήσκεται, εἴτε καὶ, οἱ ἐν τῷ Χεισῷ ὄντες, πάντες ζωποιθνήσκουσι, vel εἴτε καὶ πάντες οἱ ἐν Ἰησῷ Χριστῷ ὄντες ζωποιθνήσκουσι. Phrases, in Adamo, in CHRISTO, ad prædicatum pertinent, vi versus 21. non limitant subiectum.

QUÆSTIO II.

De iis, qui baptizantur super mortuis.

Ad I. Cor. XV. 29.

§. I. Textus Apostoli ita habet: Ἐπεὶ οὐ ποιήσουσι βαπτίζειν τὰν νεκρῶν, εἰ δὲλας νεκροὶ εἰν εγέρσι τους; οὐ καὶ βαπτίζονται τὰν τὰν νεκρῶν. Vulgata vertit: Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid et baptizantur pro illis? Seb. Schmidt. Quoniam quid facient, qui baptizantur super mortuis: si omnino mortui non resuscitantur? cur etiam baptizantur super mortuis? Duæ sunt apud Erasmus Schmidtiū Versiones, sed eadem liberiores: Alioqui quid facient, qui ablutione utuntur super mortuis? si omnino mortui non excitantur, cur ablutione utuntur super mortuis? Hæc prior est. Altera sic habet: Alioqui quid facient, qui baptizantur tanquam mortui, si omnino mortui non resurgunt? Cur igitur baptizantur tanquam mortui? 1. τὰν νεκρῶν, tanquam mortui: phrasis hæc hunc sensum non fert. Si vertis: pro mortuis, hunc sensum habere posset, sed in hoc contextu habere non potest. Simplex versio habet: super mortuis. 2. οἱ βαπτίζομενοι, simplicius, tutiusque vertitur: qui baptizantur, quam, qui ablutione utuntur. 3. τῶν τὰν νεκρῶν, efficacius vertitur, quamvis repetitum:

repetitum: super mortuis: quām, pro, vel, super illis. 4. Libe-
rius vertitur: cur igitur. Textus habet: οὐκέτι, quod est, Cur et-
iam. Emphasim habet, καὶ, etiam. Auget, & intendit. Emphasis
hæc ad præcedens etiam referri potest: Quoniam quid facient ii,
qui ETIAM baptizantur super mortuis. 5. Neutrum male ha-
bet: Quid facient, qui baptizantur super mortuis? Si omnino
mortui non resurgunt, quid etiam baptizantur super mortuis?
Scopus, nostro instituto præfixus, non permittit, plures versio-
nes adduci.

§. II. Epiphanius hæres. XXVIII. f. 114. *Istud à majoribus
traditum accepimus, nonnullos ex eo genere citra baptismum ex-
cessisse, ἀλλες δὲ ἀντὶ αὐτῶν εἰς ὄνομα αὐτῶν βαπτίζεσθαι, ac PRO iis
alios Baptismum eorum suscepisse nomine, ne cum extrema de-
mum resurrectione revocati ad vitam essent, pratermissi Baptismi
pœnas dependerent, atque ejus qui mundum condidit, domina-
tioni subessent. Cujus rei gratia usurpatum illud ab Apostolo ea-
dem ad nos auditione perlatum est: Si omnino mortui non resur-
gunt, quid est quod baptizantur pro ipsis, καὶ εἰς αὐτῶν? Verum
alii commode, καλῶς, hoc Apostoli dictum interpretantur de iis,
qui instantem morte, si quidem Catechumeni sint, ea spe freti sacra
lavatione purgantur. Δεινούστες δὲ τὸ τελευτήσας καὶ αὐτοῖς ταῦτα, ac
mortuos resurrecturos esse demonstrant, ob idque condonatione
illa scelerum, quæ per Baptismum obtinetur, indigere. Sed illorum
alii nondum CHRISTUM resurrexisse prædicant, ac cum ceteris
omnibus esse surrecturum: alii mortuos resurrecturos unquam, fun-
ditus negant. οὐκέτι δέ τοι τὰ αὐτά σημαίνουσαν. Itaque médium quoddam
iter ingressus Apostolus, cum utrosque illos, tum reliquas omnes
hæreses eadem opera disturbat, cum de mortuorum excitatione di-
sputat &c.*

§. III. Ergo 1. judicio Epiphanii, καλῶς, non commode,
non benè, textum Apostolicum interpretati sunt, qui viven-
tem, ἀντὶ, loco, vice, pro mortuo, qui sine Baptismo excessit,
baptizari posse senserunt. 2. Sed & interpretatio altera, quam
dicit καλῶς, commodè, benè habere, à textu abit. Morituri, non
sunt, mortui. οὐκέτι autem, mortui sunt, καὶ εἰς, super, moriturum
discerneret à mortuis, super quibus baptizatur. Baptizaretur

super se ipso, eo que morituro, non morituris, nedum mortuis. Si baptizantes discernuntur à morituro baptizando, quod verba velle videntur, οὐκέτις ὅπερ τελευτήσας καὶ ανάστατο, hoc baptismō demonstrantes, quod moriturus, cum fuerit mortuus, non permanens in morte sit, sed resurrecturus: tum verò non de Baptizantibus, sed de Baptisatis loquitur. Quid facient, non, οἱ βαπτίζοντες, ii qui baptizant, sed, οἱ βαπτίζομενοι, ii qui baptizantur. 3. Non male habet, quod Apostoli textus hac connexione allegatur: si omnino mortui non resurgunt, cur etiam baptizantur super mortuis, confer §. I.

§. IV. D. Abrahamus Calovius in Bibl. Illustrat. Viginti & tres explicationes congeffit, certoque ordine digeffit. Postremam, quæ vigesima tertia est, præfert cæteris. Supra §. 2. eam proposuit Epiphanius. Allegat autem Ambrosium, cuius verba citat. Tom. III. operum, col. 404. Textus allegatur: *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?* Commentarius habet: *In tantum ratam & stabilem vult ostendere resurrectionem mortuorum, ut exemplum det eorum qui tam securi erant de futura resurrectione, UT ETIAMP PRO MORTUIS BAPTIZARENTUR, si quem forte mors prævenisset, timentes ne aut male, aut non resurgeret, qui baptizatus non fuerat, VIVUS nomine MORTUI tingebatur.* Unde subjecit: *Ut quid & baptizantur pro illis?* Exemplo hoc *NON FACTUM ILLORUM PROBAT*, sed fixam fidem in resurrectionem ostendit. Ad verba vers. 30. *Ut quid & nos periclitamur omni hora?* Commentarius dicitus habet: *Dicendo, ut quid & nos periclitamur? diserevit personas, ostendens, NON CATHOLICOS esse, qui pro mortuis baptizabantur.*

§. V. In hanc expositionem multa vi, & contentione, Calovius inclinavit. Primò ait: *favent illi tum verborum proprietas, quæ singula ita retinent suam usitatam significationem, βαπτίζομενοι dicuntur, qui baptizantur; ιεροὶ mortui, reveratales, & ἵδη sensu consueto, pro ἀν., vice, adhibetur.* Secundo addit, historiæ antiquitatem. Tertio tamen fatetur: antiquitatem istius ritus, *ETSI MINIME PROBANDI.* Quartò objectionem, ritum fuisse particularem, avettit dicendo, Apo-

stolum

stolum de *QVIBVSDAM* tantum loqui. Addit etiam, Apostolum agere *ral' a vθpων*, ubi etiam opus non fuerit Apostolum ritum illum reprehendere. Satis laboravit pro interpretatione ista VIR laboriosissimus. Concludit: *Adde, quod nullæ aliae explicationes, si rectè expendantur, satis convenient.*

§. VI. 1. Verborum proprietas recte urgetur. Tamen proprie vox *βαπτίζειν* usurpatur, quando poculum eluitur, vel abluitur manus. Marc. VII, 4. *Et à foro, quando se non BAPTIZANT, non comedunt: atq; alia multa sunt, quæ acceperunt tenere, BAPTIZATIONES POCVLORVM, & testaceorum, & æneorum (vasorum) & lectorum.* Cum autem Baptismus utrobique proprie dicitur, ille prævalebit, quem Apostolus in hac Epistola frequentissime, & fere semper, expressit. *νεκροὶ sunt mortui.* Sed non eo excluso, qui fuit *νεκρός*, sed *ἀνέση εἰ τῶν νεκρῶν.* Præpositio *να*, apud Glassium p. 556. 557. Grammat. sacr. quando etiam, *PRO*, vertitur, tamen *causam* etiam *impulsivam* significat, etiam *Usum & Commodum.* p. 558. 559. *SUPER.* Ita notatur *superioritas vel LOCI vel STATVS.* Etiam *DE.* Ita notat *materiam de qua, seu objectum.* Habet ergo plures sensus consuetos.

§. VII. (2.) Non sufficit *historiæ antiquitas.* Desideratur ejus rei vel vestigium in omni Scriptura Novi Testamenti. Debebat adjungi, rem illam Corinthiis fuisse notam. Ita IX, 24. 25. Apostolus de iis, qui in stadio currunt, & de luctantibus dixit. Res fuit nota Corinthiis. (3) Dicitur Ritus *minimè probandus.* Et Ambrosij verba fuere: *non factum illorum probat.* Non vero probabile est, ex facto non probato, voluisse Apostolum probare, quod sumferat probandum. Cum Dictum allegavisset, non probatum à se, vers. 32. *Edamus, & bibamus, cras enim morimur:* è vestigio addidit vers. 33. *Ne erretis.* Et in deductione ad absurdum ita locutus est. Dein, sine dubio, præferendus est ritus probatus, ritui non probato. (4.) Ritus Orthodoxis communis, præferendus est ritui male sentientium. (5.) Prævalet & Ritus universalis particulari. (6.) Si *ναλ' ανθρώπον* disputat Apostolus, rei veritatem seponit, & assumit quod erat à Corinthiis concessum. Sed de concessione tali, unde nobis constat? (7). Si inter viginti & duas expositiones nulla

est, quæ satis convenit, an hæc Ambrosij ultima satis conveniat, disquiri potest.

§. VIII. De Autoritate etiam istorum Commentariorum hoc additur. Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, ad ann. 374. p.m. 96. 97. *Quæ (Commentaria in Epistolas S. Pauli) à multis non creduntur S. Ambrosij, nec sine causa.* Idem Bellarm. 2. de Contritione, cap. 5. §. 4. *Ambrosius, seu quicunque est auctor.* Gerhardus Titius, de phrasibus Veterum, cap. 9. p. 97. *de quo (in prior. ad Corinthios commentario) hodie inter eruditos constat, non esse Ambrosij.*

§. IX. Concludit Calovius, f. 403. a. *Sola B. Lutheri interpretatio, Literæ Apostoli, à qua recedendum temere non est, congruit, unde non immerito in medio relinquimus, sive hanc postremam Ambrosij, sive penultimam B. Lutheri explicationem, quis sequi velit.* Videtur sensus esse aliis, quam quem litera exhibet. Si enim sola B. Lutheri interpretatio, Literæ congruit, non ergo literæ congruit expositio dicti Ambrosij. Atque erit sola B. Lutheri interpretatio præferenda, si sola congruit literæ. Expositio autem vigesima secunda f. 402. b. ita proponitur: *B. Lutherus respici vult consuetudinem, qua Christiani in COEMETERIIS solebant baptizare SUPER SEPULCHRIS MORTUORUM, ideoq; ἥπει idem est, quod ἡσπάω: SEU quod ipso facto ita testarentur, mortuos olim resuscitatum iri, SEU, quod mori malle declarent, quam religionem Christianam abnegare, unde consequenter colligitur, eos resurrectionem mortuorum credidisse &c.* Ista sane consuetudo, super sepulchris mortuorum, vel Martyrum, vel Confessorum, vel Christianorum piorum & cordatorum, efficacissima consuetudo fuit. Etiam Conciones sepulchrales, quæ in Cœmeteriis habentur, ubi mortuorum fides ad imitationem proponitur, & spes vitæ æternæ animosior exurgit, magnam habent efficaciam. Si quis Christianus baptizari voluit super dormitorio Martyris, magni animi indicium præbuit. Laudari meretur consuetudo, maxime, Persecutionum tempore, pro testimonio fidei exercita. Et consuetudo illa multa involvit, atque id maxime, quod intendimus, & Lutheri expositio ista in se continet.

§. X. D. Johannes HÜLSEMANNUS, potius KERNMANNUS,

MANNUS, Operum p. 480. 481. probaturus, hominem baptizandum, vivum esse debere, occurrit loco I. Cor. XV, 29. Ait primo: *Quocunque modo exponatur, patet tamen alios esse mortuos, alios eos, qui baptizantur super mortuis.* Urget communem sensum Præpositionis *in*. Duplicem sensum proponit, 1. *in* significare *locum*, nempe sepulchra defunctorum &c. 2. Cum Præpositio illa non ad Prædicamentum UBI, sed ad Prædicamentum QUANDO refertur, ut sensus sit: *Si nulla datur Resurrectio Carnis, quid agunt igitur, qui POST TOT ALIOS, morte abreptos etiam baptizari se credunt in resurrectionem carnis.* Judicium Hülsemanni adjungitur: *Convenientissima Expositio est, si τὸ ἐντὸς ad utrumque Prædicamentum referatur.* Concludit: *Quicquid sit, hoc manifestum est &c. SERMONEM ESSE DE UTILITATE ET SPE eorum, qui adhuc vivebant & baptizabantur.* Hic verò exclamaverim, Optime. De Utilitate, & de Spe viventium, Apostolus loquitur. De Utilitate, uti versu 32. loquitur Apostolus: *πό μοι τὸ ὄφελος;* *Quae mihi utilitas?* Etiam de Spe, cuius mater Fides est, quæ JESUM CHRISTUM amplectitur, propter peccata nostra traditum in mortem, & resuscitatum propter justificationem nostram. De qua Spe Apostolus I. Thess. IV. 13. *Nolim autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, quemadmodum & cæteri, qui SPEM non habent.* v. 14. *Si enim credimus, quod JESUS CHRISTUS mortuus est, & RESURREXIT, ita & DEUS eos, qui dormierunt in JESU, adducet cum EO.* Hac ratione & Utilitas, & Spes, & Fides eorum, qui super sepulchris beatè defunctorum, & post tot in hac fide beatè mortuos, atque ad vitam beatam suscitandos, commendatur.

§. XI. Non videtur id prætereundum, quod de ablutionibus Mosaicis super mortuis, affertur. De his Calovius habet fol. 401. a. Hoc additur: Joh. Casparus SUICERUS in Thesauro Ecclesiastico, è Patribus Græcis concinnato f. 643. post varias Interpretationes ultimo subjunxit: *Quicquid autem sit, simplissima merito videtur sententia eorum, qui respici volunt ad ABBLUTIONEM LEGALEM, qua impuri ex contactu mortui abluebantur, seu purificabantur, ut liberum rursus ad sacra adiutum haberent. Ubi IMPURITAS MORS quadam fuit legalis,*
PURI-

PURIFICATIO autem **VITA** quædam, vel potius vivificationis ad communionem cum DEO Symbolum. Posteriora non tam bene habent, quam priora. Hic enim alius est mortuus, alius qui abluebatur. Ibi, mortuus cum baptizato idem est. Confidentior est Johannes BRAUNIUS in Selectis sacris p. 65. 66. *Super mortuis baptizari solebant Iudei, non Gentiles, ut istud argumentum neminem tangere potuerit, praeter Iudeos. Multas esse opiniones de sensu hujus loci scio. Integri super hac materia scripti sunt libelli, QVOS PARUM CVRAMUS.* Ego quidem sic loqui nolim. Calovius cum talem expositionem proposuisset. 401. a. subjunxit: *Quæ verò contorta & anfractuosa explicatio vix referri meretur, quam etiam Benedictus JUSTINIANUS merito coactam & violentam dixit.*

§. XII. Itaq; pro Exercitio Academico eam sententiam defendemus, quæ Apostolum explicat ex Apostolo. Nobis quidem sufficienter explicaverit Apostolus ipse, quos intellexerit baptizari super mortuis. Rom. VI, 3. 4. *An ignoratis, quod quicunque baptizati sumus in CHRISTVM & ESVM, εἰς τὸ θάνατον ἀπό τῆς απόθεσης, IN MORTEM EIVS BAPTIZATI sumus. Sepulti igitur sumus unā cum Eo, per BAPTISMVM IN MORTEM, ut quemadmodum CHRISTVS surrexit εκ νεκρῶν, EX MORTVIS per gloriam Patris, ita & nos in novitate vite ambulemus.* Quisquis ergo in JESUM CHRISTUM baptizatus fuit, is in MORTEM Ejus fuit baptizatus, qui surrexit εκ νεκρῶν, EX MORTUIS. Baptizatur super mortuis, quisquis hac fide baptizatur. Apoc. I, 18. *Ἐγενόμην νεκρός, καὶ ἴδια ζωὴν εἶμι, Eram mortuus, sed ecce vivens sum.* Apoc. XIV, 13, *Beati sunt οἱ νεκροί, MORTVI, οἱ εἰς Κυρίων Στοῦντος, qui in Domino moriuntur.* Super his mortuis baptizantur, quotquot in Ecclesia JESU CHRISTI baptizantur.

§. XIII. Vis atque efficacia, fides ac spes, quæ in Baptismo, etiam inter Corinthios non fuit vel agnita, vel exercita, vel animadversa. Dixit Apostolus 1. Cor. XV, 34. *ἀγνοίας γέρες πνεύματος εχόντων, IGNORANTIAM enim DEI quidam habent.* Et reprehendit hac in re Apostolus Corinthios, dixitq; *Ἄγγελος εὐρεσθήσεται λέγω, ad pudorem vobis incutiendum loquor.* Huc illud pertinet Rom. VI, 3. *Ἄγγελοί τε, aut ignoratis &c.*

Baptismi

Baptismi hæc efficacia, & vis est 1. Baptizamur in JESUM CHRISTUM. 2. Baptizamur in MORTEM EJUS. 3. Per Baptismum unà cum Ipso sepulti sumus in MORTEM. 4. Baptizamur in fide & confessione resurrectionis Ipsius ἐν νεκρῷ, ex MORTUIS. 5. Dicitur, ὁσπερ, SICUT. Est ergo & Communicatio, & Applicatio, & Fides, & Confessio, & Spes Mortis, v. 3. 4. & ἀναστάσεως, Resurrectionis, v. 5. Quisquis baptizatur in mortem CHRISTI, resuscitati ex mortuis, ille baptizatur super mortuis. Atqui, Quisquis baptizatur in JESUM Christum, is baptizatur in mortem CHRISTI, resuscitati ex mortuis. Ergo, Quisquis baptizatur in JESUM CHRISTUM, is baptizatur super mortuis.

§. XIV. Voce Baptismi hac significatione usus est Apostolus in Epistola priori ad Corinthios tota. 1. Cor. I, 13. Num in Nomen Pauli baptizati estis? vers. 14. Neminem vestrum baptizavi &c. vers. 15. Ut ne quis dicat, quod in nomen meum baptizaverim. Vers. 16. Baptizavi autem etiam Stephanæ familiam. Ceterum haud scio, num quem alium baptizaverim. Vers. 17. Non enim misit me CHRISTUS ut baptizarem &c. Decimo Capite, Versu secundo, alium quidem sensum habet, qui tamen Baptismum CHRISTI respicit. Verba sunt: *Et omnes in Mosen baptizati sunt in nube & in mari.* Quæ vers. 1. & 2. Apostolus dixit, ea dixit, respiciens ad Sacramentum Baptismi. Et quæ Vers. 3. & 4. de Esca & de Potu spirituali, respiciens Sacram Cœnam. Sic Baptismum, & Cœnam conjunxit XII, 13. *Etenim in uno Spiritu nos omnes in unum corpus BAPTIZATI sumus, sive Iudei, sive Graci, sive servi, sive liberi; & omnes in unum Spiritum potati sumus, ἐποιηθημεν.*

§. XV. Galat. III, 26. 27. Omnes enim filij DEI estis, per fidem in CHRISTO IESU. Quotquot enim in CHRISTUM baptizati estis, CHRISTUM induistis. Omnes in Christum baptizati, Christum induerunt. Vos Galatæ in Christum baptizati estis. Ergo, vos Galatæ Christum induistis. Pergit: Quisquis Christum induit, filius DEI est per fidem in Christo Jesu. Atqui, Vos Galatæ Christum induistis. Ergo, vos Galatæ filij DEI estis per fidem in Christo Jesu. Porro, Luc. XX, 36. οἱ εἰς τὸ Θεόν, τοὺς ἀναστάσεως υἱοῖ ὄντες, filij sunt DEI, cum sint filij resurrectionis. Resurrectionis, τοὺς ἀναστάσεως, fides in Baptismo est, & Confessio, ὡπλεγίρων οἱ νεκροὶ, quod resurgent mortui.

τοῦτον τὸν νερόν, super mortuis etiam Galatæ fuere baptizati.

§. XVI. I. Petr. III, 21. *Nos etiam salvos facit Baptisma &c. si avas̄t̄os, per resurrectionem Iesu Christi. I, 3. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum multam misericordiam suam REGENERAVIT nos in spem vivam, si avas̄t̄os, per resurrectionem Iesu Christi, in tempore, ex MORTUIS.*

§. XVII. In Colloquio aliquo, cum multiplicium explicationum meminisse, tandem addidi, videri mihi simplicem præ aliis expositionem, quæ de Baptismo accipit, &, baptizari super mortuis, exponit ex Rom. VI, 3. 4. Interrogatus, an ita sentirem; Respondi, sic mihi videri. Incidi deinde in Commentarium D. Nicolai SELNECCERI, part. I. f. 772. Exponebat ille, quæ cogitabam. Placet ex eodem quædam afferre. f. 772. *Est & hoc argumentum firmissimum resurrectionis mortuorum. BAPTIZAMUR ENIM &c. Ut certi simus, nos in mortem & resurrectionem Christi baptizari &c. f. 773. Christiani baptizantur in confessione articuli resurrectionis mortuorum. &c. Præpositio ἐπ̄ significationem continet professionis, &c. Pergit Selneccerus: Et placet etiam mentio RITUS, quo Baptismus ille alicubi factus dicitur ad SEPULCRA demortuorum, ad testandum, quod baptizati, & ex gentibus ad Christum conversi, firmissime crederent, mortuos ibi sepultos, super quibus se baptizari sinerent, resurrecturos esse cum corporibus suis. f. 774. Clinicorum meminit, & baptismi eorum. Censet, nihil habet incommodi, licet omnino hætem, num tempore Pauli mos ille fuerit; qui si fuisset, eum Paulus certe improbasset &c. Quod de hac expositione judicavit Selneccerus, idem judicari potest, & magis, de ea, quæ pro mortuo, non baptizato, substituit viventem, qui vice illius baptizetur. Merito itaque Selneccerus in sequentibus, eam expositionem inter interpretationes manifeste falsas retulit. Perstat autem in expositione data, concludens: *Paulum intelligere confessionem, de resurrectione editam, in Baptismo, vel ad SEPULCRA mortuorum, vel ALIBI administrato, & suscepto. SIMPLICIOR SENTENTIA TRADI NON POTEST.* Hactenus D. Selneccerus.*

§. XIX. Tom. IV. Operum Hieronymi, ex editione Mariani Victorij, commentar. in Epistolas Pauli, sub Hieronymi nomine, col. 575. hæc habentur: *Alioquin quid faciens qui baptizantur pro mortuis: Quicunque baptizati sumus in Christo,*

in morte ipsius baptizati sumus, id est, jam quasi commortui cum illo sumus, &c. In crepando ait: Aut quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt, id est, quid baptisari opus est carnem, si non resurgat?

§. XIX. Paria Theodoretus habet Tom. III. f. 202. 203.

οἱ βαπτιζόμενοι, οὐτε, τῷ δεσπότῃ συνδέπεται, ἵνα τὸ θαύμα κοινωνίους, ἢ τῆς ἀναστάσεως γένηται κοινωνοί. Qui baptizatur, inquit, (Apostolus), Domino consepelitur, ut cum mortis fuerit particeps, sit etiam particeps resurrectionis. Si autem corpus est mortuum, Εἰ non resurgit, τί δικαίοτε ἡ βαπτίζεται, cur etiam baptizatur?

§. XX. Theophylactus f. 302. 303. MARCIONITÆ heretici, si quis apud eos non baptizatus moreretur, sub mortui lecto, viventem quempiam occultantes, accedunt lectum, interrogantes mortuum, num velit baptismate tingi? Atque eo respondentem qui latitabat, quod velit, sic loco mortui (ἀντὶ τῆς ἀπλόντος) eum baptizant. Deinde ob id accusati, defendunt sese, hoc loco, affirmantes Apostolum hoc dixisse, Εἰ hunc textum οἱ παράδοξοι, stolidi producunt. Id vero sic se non habet. At, quomodo? Omnes qui baptizandi sunt SYMBOLUM FIDEI PROFICIENTUR, ἀπαγγέλλοντο σύμβολον τῆς πίστεως. In eo enim symbolo, una cum aliis, Εἰ hoc proponitur: Credo resurrectionem mortuorum. Dicit igitur, quod qui crediderunt futuram esse resurrectionem mortuorum corporum, Εἰ qui baptizati sunt in talem spem, quid facient, si fuerint decepti? Quid autem omnino baptizantur homines ὑπὲρ ἀναστάσεως, SUPER resurrectione, hoc est, διὰ περισσοῦ ἀναστάσεως, in expectatione resurrectionis, si mortui non excitantur. Hæc satis perspicua sunt.

§. XXI. Dixit Theophylactus: οἱ πιστεύοντες &c. η βαπτίζεται. De Fide plura Apostolus dixit, ab initio Capitis XV. De Baptismo, versu 29. vers. 2. εἰνὶ δισεύοντες, frustra credidistis, negata resurrectione. v. 14. οὐδὲν δὲ η πίστις ὑμῶν, inanis etiam est fides vestra. vers. 17. ματάξει πίστις ὑμῶν, vana est fides vestra, si mortui non resurgunt. Quid vero, qui crediderunt, si ETIAM baptizantur super mortuis, τι quid faciunt? Apostolus dixit: ὑπὲρ τὴν ρεκτῶν, Theophylactus dicit: ὑπὲρ ἀναστάσεως.

§. XXII. Iis, quæ Selneccerus habuit §. 17. paria sunt ea, quæ Philippus Melanchthon annotavit, operum Parte IV. f. 297. Quanquam autem hic ritus (adductos esse baptizandos ad ossa mortuorum, & ibi professos esse articulum de resurre-

ctione mortuorum &c.) non fuit universalis, tamen omnes in Baptismo ubique planissime professi sunt, se firmissima fide resurrectionem mortuorum credere. Etsi multæ interpretationes de hoc loco traduntur, tamen valde consentaneum est, hanc SIMPLICIEM interpretationem NATIVAM & VERAM esse: βαπτίζουσιν τῶν νεκρῶν, id est, βαπτίζουσιν ἔξοιλογούσις τῶν νεκρῶν. Baptizantur pro mortuis, id est profidentes de mortuis. Nam Præpositio καὶ hanc significationem professionis continet, non significat vices, arti.

§. XXIII. Glossa ordinaria: Baptizantur pro mortuis, id est, pro peccatis delendis: vel, pro se mortuis faciendis ad similitudinem mortis CHRISTI &c. Ad verba: Si omnino &c. Ut nec CHRISTUS surrexerit. Vel, fuerunt quidam imperiti, qui baptizabantur pro his, qui de hac vita sine Baptismo discesserant, putantes illis prodeesse. Unde ait: Quid facient: id est, quid illis proderit, qui resurrecti non sunt. Glossa Interlinearis: Baptizantur pro mortuis: non factum illorum probat, sed fixam fidem in resurrectione ostendit.

§. XXIV. Nicolaus de Lyra: Quia non videtur probabile, quod Apostolus in sua probatione procedat ex aliquorum ERRORE &c. ideo aliter exponitur, quod dicitur hic, pro mortuis, id est, pro peccatis mortalibus, quae sunt opera mortua, pro quibus abluerit recipitur Baptismus, qui ramen non proficeret, si non esset resurrectio. Ad hoc enim recipitur, ut a peccatis mundatus sit vita beata dignus.

§. XXV. Pro mortuis, Glossa ord. explicat: pro peccatis detendis. Lyranus: pro peccatis mortalibus. Sensus bonus est, sed non convenit loco nostro. καὶ τῶν νεκρῶν, super mortuis, id est, iis, qui mortui sunt. Hujus phrasis perpetuus hic sensus est. Alia phrasis est, νεκρῶν ἐργῶν, mortuis operibus. Hebr. VI. 1. IX. 14. Frequentissimus hujus vocis, νεκρῶν, in hoc ipso capite XV. 1. Corinth. usus est, sed ne semel quidem de operibus mortuis. Omne dubium Ipse Apostolus sustulit, qui, cum dixisset, νεκρῶν, subjicit mox, νεκροῖ, v. 29. Et repetiūt v. 35. οἱ νεκροὶ, mortui.

§. XXVI. Quod eam explicationem attinet, quæ exponit de viventibus, mortuorum vice baptizatis, Glossa Ord. dixit: fuerunt quidam imperiti. Glossa Interlin. non factum illorum probat. Lyranus: non videatur probabile. Glossa Ord. etiam hæc habet: SI STVLTI adeò certi sunt de resurrectione, eos (φρόνιμοι δύτες, cum sitis prudentes, 2. Cor. XI, 19.) non debetis dubitare.

§. XXVII. Ex his sequitur, præferendam omnino esse eam interpretationem, quæ de Baptismo, juxta institutionem CHRISTI suscepto, explicat. Bene Gl. Ord. pro se &c. ad similitudinem mortis CHRISTI &c. Lyranus: pro quibus (peccatis) abluerit recipitur Baptismus &c. ut à peccatis mundatus sit vita beata dignus. Hæc dignitas ex morte CHRISTI est, qui resurrexit ex mortuis.

Coll. diss. A. 229, misc. 13